



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 44. Obsidio ad Gallici exercitus conspectum soluta, & Borbonius inde profugus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

ctus Avenionem cepit, hanc urbem Pontifici sartam conservandi obtentu usus, re ipsa tamen ibidem cunctas vires suas colligere statuit, ut inde in hostes suos toto impetu irruere posset, nil ardentius percipiens, quam ut Borbonium profligare, suisque manibus traditum debita rebellionis pœna castigare valeret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1524.

§. XLIV.

*Obsidio ad Gallici exercitus conspectum soluta, & Borbonius inde profugus.*

Ceterum Borbonius comperto Regii exercitus adventu, hostem suum præstolari, ac prælii discrimen experi-  
ri constituit. Obstitit tamen Piscarius Marchio, qui hostem in propria sua ditione aggredi haud consultum censebat, præcipue ubi Regis copiæ Fœderatis numero longe superiores essent; quapropter eadem die nimirum decima Septembris, qua Rex Avenione Salum profectus in Cæsaris exercitum incur-  
rere parabat, Borbonius motis castris Massiliæ obsidionem solvit, postquam jam quadragesimus effluxerat dies, a quo obsidionales ad urbem accessus ducere cœperat. Liberatæ urbis nuncium Massilienses Deputati ad Regem, qui tum Aquis sextiis agebat, detulerunt. In

*Mem. du Bel-  
lai l. 2.  
Petr. de  
Angl ep 800*

G g 5                      hac

**Sæcul. XVI** hac expeditione cæsi fuere plures, iique  
**A.C. 1524.** nobilitate generis clarissimi, magna etiam tormentorum pars amissa. Horum jactura, atque obsidionis solutæ infelicitas plurimum afflixit Cæsarem, magis vero Borbonii Ducem, præcipue ubi eidem nunciatum erat, Romæ adversus illum publice famosos libellos fuisse affixos, in quibus arguebatur, quod Borbonii Dux quondam indole Gallus jam animum Cæsari eo fine addiderit, ut velut alter Thrafo adversus Franciæ Provincias jactantius inanes minas effunderet.

## §. XLV.

*Reginæ Franciæ obitus.*

*Brantome  
 vie des Da-  
 mes illustr.  
 Du Bouchet.  
 Es de S.  
 Matth geneal. de la  
 maison de  
 France.*

**I**nterim Galliarum Rex adhucdum Avenione hærebat, cum nuncium acciperet, quod Regina ipsius conjux exeunte Mense Julio Blefi mortalitatem exuisset. Vocabatur hæc Claudia de Francia, Ludovici XII. Regis Filia, & nata erat Romorantini die decima tertia Octobris Anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono. Susceperat quatuor Filias, ac tres Filios, quos inter primus erat Franciscus Delphinus, ac Britannicæ Dux, natus die vigesima octava Februarii Anno supra millesimum quingentesimo decimo septimo;